



PRAEFATIO AVTHORIS, AD PIVM LECTOREM.



N operum editionibus instituti proprij rationem manifestasse, summam afferre utilitatem experimento compertum est. unde & hoc idem ipse præstiterit nonnulla præfabor, ex quorum notitia, ubriores fructus, ex nostris hisce Decisionibus unusquisque excerpet, & consequetur. Et quidem ante omnia Lectorem admonere volui, quam longo intervallo hec postrema editio à priori elongetur: illam enim adhuc rudem & imperfectam crebre, immò importunæ amicorum preces & hortamenta iniuto è manibus mibi extorserunt; sed in hac posteriori, plus otii naetius (quamquam ut ingenuè fatear & illud fuerit pere exiguum, cum sim in legendi munere maximè occupatus) quod in illa fortasse mancum, impolitum, minusque discussum videbatur, in ista pro viribus conati sumus perpolire, excutere, & adjicare: nam id totum quod hoc signo [] includitur, in postrema hac editione à nobis additum est. Neque hoc mirum videri debet, cum & ea sit humanarum rerum conditio, ne unquam a primordijs omni donata perfectione in lucem veniant, sed per temporum internalla vegetiores fiant, & omnianque absolute. Sic hominem vitales auras captare incipientem, offendes elinguem, stolidum, & imbellem, at breui postmodum annorum curriculo interieco, ecce tibi, ut facundissime interna animi sensa proloquitur, ut strenue discriminibus caput obiectat, ut acerrimè ac soleritissime cuncta disponit, & moderatur: Parturit ursa catulos penè efformes, & animali specie destitutos, sed breui deinde eisdem lingua lambendo quasi articulatum regenerat, & efformat; ita quoque ars ipsa natura emulatrix non nisi progressionibus quibusdam sua opificia omnibus numeris edita absoluta: quod, ut per se manifestissimum, ulterius prosequi abstinebo. Ceterum, quid me adegerit ad hanc præcipue de Casibus Conscientiae materiam conscribendam, breuibus intimabo, maximè quod alicui videri posset superuacancum fuisse laborem, & rem altam (ut aiunt) agendum suscepisse. At profecto, quod ad primum attinet, non inspicio, utrum ne homo religiosus, ab ineunte etate in Sacrorum Canonum studijs versatus, in audiendis

Con-